

Symbolum Elizabethæ Reginae.

*Instruit, immotam mentem Constantia firmat.
Hinc EADEM SEMPER recte sibi vendicat illa.
Proferat undoso quis tantas carmine laudes?
Sola tenet laudum quicquid numerabit omnes.
Sit felix, valeat, vivat, laudetur, ametur;
Dum mihi sunt fluctus, dum cursus, dum mihi ripæ,
Angligenum felix princeps moderetur habenas;
Finiat una dies mihi cursus & sibi vitam.*

Windesora Foresta.

Reliqua Attrebatiorum regio quæ ad Austrum à Windesora patet, saluosifis nemoribus opaca, Foresta de *Windesora* vulgo dicitur, villis rarior, quarum *Okingham* lanificio, & sua magnitudine est notissima, feris autem innumeris ubique refertissima. Foresta autem (quoniam de Foresta sæpe meminimus, & meminimus) quid sit, & quod ejus *Etymon* si aves scire, nec riseris, habe tibi ex *Nigro Scaccarii libro*, Foresta est tuta ferarum mansio, non quarumlibet, sed *sybaticarum*, non quibuslibet in locis, sed certis & ad hoc idoneis, unde Foresta dicitur quasi, Feresta, id est, ferarum statio. Incredible autem est quantum terrarum Reges Angliæ passim incultum jacere permiserint, & feris inclusis dicaverint, vel, ut nostri loquuntur, *afforestaverint*. Nec enim aliam fuisse causam, quam insanum venandi studium existimare possum, (quamvis aliqui in populi infrequentiam rejiciant) cum à Danicis usque temporibus, quotidie plura loca in saltus redegerint, ad eosque conservandos durissimas leges, & præfectum, quem *Protoforestarium* dixerunt, imposuerunt; qui saluarias causas cognosceret, & vel morte, vel membri mutilatione plecteret, si quis feras in aliquo saltu confecisset. Sed hæc paucis tibi è Po-

Salus, si ve Forre- sta quid, & unde dicta.

* Vel ad regiam familiam alendam.

Protoforestarius.

lycratico suis verbis dicit *I. Sarisburiensis*, Quod magis mirere, pedicas parare aribus, laqueos texere, alligere nodis vel fistula, aut quibuscumque insidiis supplantare ex edicto sæpe fit criminis, & vel proscriptione bonorum mulctatur, vel membrorum punitur, salutisque dispendio. Volucres cæli, & pisces maris communes esse audieras: sed hæc fisci sunt, quas venatica exigit ubicunque volant. Manum contine, abstine, ne & tu in pœnam lese majestatis, venantibus cedas in prædam. A novalibus suis arcentur agricolæ, dum feras habeant vagandi libertatem, illis ut pascua augeantur, prædia subtrahuntur agricolis: sationalia insitiva colonis, cum pascua armentariis & gregariis, tum alvearia à floralibus excludunt, ipsis quoque apibus vix naturali libertate uti permissum est. Quæ cum nimis inhumana viderentur, magnas nonnunquam turbas excitaverunt, donec Baronum secessione extorta sit ab *Henrico III Charta de Foresta*, in qua antiquatis legibus illis severioribus, æquiores tulit, quibus qui intra Forestarum limites incolunt, etiam hodie tenentur. Duoque deinceps ad has causas instituti sunt *Iusticiarii*, quorum alter omnibus Forestis cis *Trentam* fluvium, alter reliquis ultra *Trentam* ad *Scotiam* usque, magna cum auctoritate præest. Per totam hanc provinciam, ut est in libro *Censuali Angliæ*, *Tainus* vel *Miles Regis Dominicus* moriens pro relevamento dimittebat Regi omnia arma sua, & equum unicum cum sella, & alium sine sella. Quod si essent ei canes, vel accipitres præsentabantur Regi, ut si vellet, acciperet. Quando Geld dabatur tempore *Edwardi Regis* communiter per totam *Berchescirram* dabat hida iij. d. ob. ante natale Domini, & tantundem ad *Pentecost*. Hæc de *Barkshire*, quæ hæcenus Comitatus honore insignivit neminem.

Iusticiarii Forestarum.

Miles Regis Dominicus.

In hujus Comitatus complexu sunt Parochiæ 140.

Occidentalium Saxonum regnum.

Quas hæcenus peragravimus regiones, *Danmoniorum* scilicet, *Durotrigum*, *Belgarum*, & *Atrebatiorum*, cum *Saxones* jam rerum in *Britannia* potirentur, in *Occidentalium Saxonum* regnum cesserunt, quod illi sua lingua *Wear-deaxan-ric*, & se *Gezuyr*, ab avo *Cerdici*, qui hoc regnum primum instituit, dixerunt: unde *Gevisi*, aliis etiam *Visi-Saxones* vocantur: sed ab *Occidentali* situ, uti *Occidui Gothi Visigothi* sunt nominati. Hi tandem in virili *Anglici* imperii ætate, *Saxonicam Heptarchiam* in *Monarchiam* redegerunt, quæ tamen postea regum ignavia cito consenuit, facileque evanuit. Ut in his illud confirmetur, quod indies videmus, *Fortissimorum virorum* & *clarissimarum familiarum* sobolem, perinde ac stirpium suos habere natales, florescere, maturescere; demumque marcescere, & sensim emori.